

CEREM,,

7)

DUAS PARTES DISTRIBUTA.

R. Ad arma, ad arma, milites, adcurrite!
Abiit! Excessit! Custodite ianum!¹

EBIUS. Quid est?

ILES. Duxi nuper...

T. Quem?

ILES. Duxi latrunculum.

T. Ubi est?

ILES. Erat hic!

T. Et nunc?

EBIUS. Quonam se condidit?

ILES. Fugit!

ILES. Evasit!

T. At tradidisti nemini?

ILES. Eramus omnes...

T. In grillis!

R.² Adest furcifer!

Nec ipsa evasit carceris vel limina,
Et in manum incidunt securam militis,
Eum qui duxit ad pistrinum denuo!

ILES. Qui timor!

ILES. Agedum, veni!

T. Quid in mentem venerat?

R. Apertas ianuas bona sorte videram,
Et nullam mili pulchriorem credidi
Occasionem nacturum esse in poste-
rum,

Hinc me subripui caute solertior.

Aves in silvis volitant feliciter!...

T. Nec plura!

R. Plurimum dixisti! Nunc tace.

ILES. Et intra in arctam merito custodiam.

R. I prae!

R. Cede tuis cum sycophantiis!³

(Ad proximum numerum).

Exit, clamans.

Supervenit manu ducens Puerum.

Eunt intus cum Rectore.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 100.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

• • •

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:

Alba (cum off. in opp. *Canale*), *Albano Laziale*, *ALESSANDRIA* (in Aegypto), *Arezzo*, *Avezzano*, *Bagni di Montecatini*, *BARCELLONA* (in Hispania), *Bengasi* (in Cyrenaica), *CAIRO* (in Aegypto), *Canelli*, *Castelnuovo di Garfagnana*, *COSTANTINOPOLI* (in Turcarum Imperio), *Fabriano*, *Fermo*, *FIRENZE*, *Fossano* (cum off. in opp. *Centallo*), *Frascati*, *Frosinone*, *GENOVA*, *Lucca*, *MALTA*, *MILANO*, *Mondovi* (cum off. in opp. *Carriù*), *Montblanch* (in Hispania), *NAPOLI*, *Orbetello*, *Orvieto*, *PARIGI* (in Gallia), *Pinerolo*, *Porto S. Giorgio*, *Siena*, *Tarragona* (in Hispania), *Tivoli*, *TORINO*, *Torre Annunziata*, *TRIPOLI* (in Africa), *Velletri*, *Viareggio*, *Viterbo*.

NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a*) iuxta quotidianas computationes, easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000 ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est; *b*) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2%, si mensium duodecim; *c*) parsimoniae fovendae sub specie, annuo fructu 3.60%, cum facultate quotidie defrendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a*) perscriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; *b*) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c*) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; *d*) litteras emitit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; *e*) exteris numeros negotiatur eorumque collybum exercet; *f*) fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat; *g*) res administrat tum consociationum, tum privatorum nomine.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
imminuto pretio prouti sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulæ lib. 1; ambae lib. 1,50.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegumento solut. lib. 1,50; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 2,25.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticæ. – Singulæ lib. 1.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. – Lib. 1.

PETRI ANGELINI De poëtis et numeris latinis. – Lib. 1.

Ann. V.

A

Premium annu

march. 10

FORNARI

INC

Vaticinii
De Maistre
philosophia
psisse putan

Quo effat
habeatur in
virorum, in
blicae temp
randum tin

Cal

Viribus
freti, qui, le
xima litora,
nec scribere
gubernatore
Patre Alfons

¹ Superiori
civitatis athena
sitebatur, diutu
simae vitae ab
civitatis iurium
Eius laudes cel
tanto enim nom
nullum par elo
voluimus, quae
quocum familia
prolata, alte so
salutiferum nos
ALMA ROMA.

A)
IBELL. 100.000.000in propriis aedibus
S. Marcello)

XTERAS CIVITATES:

to), Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, ypto), Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, E, Fossano (cum off. in opp. Centallo), Fra- off. in opp. Carrù, Montblanch (in Hispania), vrgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, o, Viterbo.

ONES ET NEGOTIA.

omine accipit: a) iuxta quotidianas a facultate quotidie exigendi usque dierum quatuor, lib. 50.000; pro computationibus pariter quotidianis, ium sex; 4 1/2 %, si mensium duo- 60 %, cum facultate quotidie defe- . 300. De maiore vero summa man- eptem usque ad lib. 5000; ad dies

tiones compensat duarum personarum solvendas; idque pro omnibus um ad formam, iuxta italicam legem incia requirentibus subvenit; c) in ub praesidio fundorum publicorum, ratae; d) litteras emitit ex credito maxima aguntur; e) exteris num- es in custodiam accipit, pro iisque f; g) res administrat tum consocia- immariae sunt.

AE,, Sociis

tine scripta venum dantur,

ili prandium, Milesiae facile agendis. - Singulae

novi flores. - Si tegu- aureoque titulo, lib. 2,25.

mam, Actiones drama-

, Milesia fabula. - Lib. 1.

inis. - Lib. 1.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

INGRUIT HORA¹

Vaticinii vim in fide esse, aiebat olim De Maistre; idque collatis ex historia et philosophia argumentis invenisse et scripsisse putamus.

Quo effato quum nihil verius ac rectius habeatur inter sententias clarissimorum virorum, in hoc summo humanae reipublicae tempore investigare iuvat quid sperandum timendumve sit gentibus, dum

*Futuri temporis exitum
Caliginosa nube premit Deus.*

Viribus autem nostris tantummodo freti, qui, levi phaselo vix obeentes proxima litora, maria tentamus, nec dicere nec scribere ausi, sileremus libentius; sed, gubernatore ac duce eximio Purpurato Patre Alfonso Capecelatro, sequimur ultra

¹ Superiori Octobri mense ineunte, Pisis, in cuius civitatis athenaeo oeconomicam civilem doctrinam profitebatur, diurnis laboribus fractus, cursum sanctissimae vitae absolvebat JOSEPHUS TONIOLO, christianaee civitatis iurium in Italia vindex et magister maximus. Eius laudes celebrare haud profecto periclitabimur: tanto enim nomini, per orbem universum praeclaro, nullum per elogium. Contra, eius vocem revocare hic voluimus, quae ex litteris ad Moderatorem nostrum, quocum familiariter utebatur, licet mense Maio a. 1899 prolata, alte sonat adhuc, imo praecipue his diebus, salutiferum nostrae et futurae aetatis monumentum. - ALMA ROMA.

monstratum iter, nisi optimum facturi, certe melius.

* *

Notat enim ille, in prolegomenis *Vitae Iesu Christi*, humanam societatem hoc tempore contradictionibus torqueri assiduis, quasi inter contrarios ventos obnixasque undas agitatam navem. Haec tamen procella, hoc ipso quod procella sit, quietis ac tranquillitatis praenuncia videtur; non enim ea perpetua sunt quae violenta, imo quo violenta magis, eo minus diurna. At pax, et requies, et serenus aer non aliunde, nisi a Christo exspectanda sunt.

Hinc, quoniam diu in contradictionibus humana mens requiescere nequit, nova erit veritatis inquisitio, et nova lux oculis a Christo et ab Ecclesia effulget, et in ipsa mutatione rerum nova erit sapientiae manifestatio, qua cuncta, quae sunt hominibus, iterum colligentur in Christo, lapide anguli, quo vinciuntur omnia novissima et antiqua, quo ad instaurandum ex vivis lapidibus Deo Patri templum nova et vetera congregantur.

Erudientibus humanum genus acri disciplina doloribus, resipiscet humanitas recordata pristinos dies, quibus a terroribus, cladibus, servitute, ignominiis idolatriae, Christo praeeunte, liberata est. Qnaecumque allatura erunt ac sibi vindictatura sive publica regimina, sive civilia placita, sive philosophorum conatus, sive

nova inventa, commercia, divitiarum distributio, à Christo erit verbum concilians omnia, ab Ipso, qui verba vitae unus habet; erit ab Ecclesia, cui verbum Verbi creditum est ad dandam plebi scientiam salutis.

Quoties vexatum curis, et sollicitudinibus, et aerumnis huius vitae mortalium humanum genus, praevalente nobilitate mentis, praevalente vi voluntatis, quaesivit ea quae satis essent sedandae siti inexplicabili, qua natura ducimur ad verum, ad bonum, quorum desiderio aeternum flagrans praestantissimum aequa et infelissimum est, toties unicum illi patuit ad aras Christi refugium, nec alibi nisi in templi vestibulo, poscens genibus limina, conquievit.

Itaque implenda coniuentes ex iis, quae peracta iam vidimus, haeremus historiae suadenti.

Quum populos urgebit fidei necessitas, tot circumferentibus turbinosae doctrinae ventis defatigatos et lassos; quum, corruentibus circum auxiliis omnibus, spe destitutos cuiusvis futuri boni, rependentis praesentia pessima, urgebit sperandi necessitas; quum urgebit et amoris necessitas, in ea quae ad intellectum pertinent, atque explorata cognitio aeternitatis futurae, quam alteram frustra excutere animo conati sunt, et alteram brutorum more inter turpia, terrena et fallacia frustra quaesierunt, tum unica patebit redditus via ad vocem clamantis: « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ».

**

Haec vir ille doctissimus, cui sit apud omnes par doctrinae laus. Mihi vero, si quid licuerit addere, libenter addam, veniam petita, non quo aliquid lucis accedat luculentissimis verbis, sed ut ea quoque feram, quae intus assurgunt.

Necessitate quadam fatali tempora prætereunt, et ferme eadem lege, qua venti miscent aërem et aquora, ac modo nubes cent, modo serenum, dissipatis nubibus revelant; ea tamen lege, ut ipsa rerum

turbatio ordinem gignat, et venturae semina turbationis foveantur in ipso ordine.

Qui ergo totam noctem laborantes in alto nihil ceperunt, implebuntur bonis illuminante sole iustitiae, statim ut in nomine eius ad dexteram navigii retia laxabunt.

Quapropter quum nunc eo perventum sit, ut nec mala ferre possimus, nec patens remedium animo magno suscipere velimus, putantes turpe dicere: « Erravimus », necesse est in peius ruere inter obscura illa ac tetterima, quae philosopho rationalistae proxima exterminio et abyssu videntur; dum christiano philosopho lucis annuntiant redditum, et novae modum salutis. Ille sua ignorantia in terrorem et desperationem inducitur; hic fide Christi et verbis Ecclesiae constituitur in spe.

Fato quodam urgente - (criminibus nempe, quae sequitur poenae necessitas; nam « sine sanguinis effusione non fit remissio ») - fertur humana societas in scopulum, quem nec vitare, nec ascendere, nec sternere potest. Morae impatiens et progredi impos, noscet aliquando stulte *naturalismo* superbuisse, quem, subverso Deo, victorem penitus praedicavit; ratione humana, quam vitae arbitram adstruxit; progressu denique et ascensu generis nostri, quem indefinitum et vel Deum ipsum aquaturum vaticinata est.

Tunc fassa naturae impotentiam, rationalium subsidiorum angustiam, vanitatem corporearum rerum, quas consequuta semel, aeternum se beatam sperabat, ludificata sedebit et moerens inter omne genus ruinae, quam sua manu satagens comparavit; demum in desideranda atque invocanda caelestia se feret.

Forsitan Misericordia illa, cui non est miserationum numerus, inter haec maestissima nostras exspectat gentes, prout inter atterentes barbaros orbem romanum; ut mentem ad mores, ad veritatem, ad pacem reducat, instaurans quae subrata, et infirma restaurans.

Utinam, anxia quae ingruit hora, suprema sit, et salutis horam festina præcedat!

JOSEPHUS TONIOLO.

DE NATURÆ IMITATIONE IN ARTE

Plurimum de hoc arguento disceptarunt philosophi, in contrariam opinionem abeuntes. Scholasticorum tamen effatum: « Ars est simia et imitatrix naturae », si rite intelligatur, cum veritate congruere optime apparet. Duplex enim distingueda est imitatio, servilis nempe, et libera.

Prima habetur quum artifex suum intendit animum ad naturam sensibilem aemulandam, eamque (ad verum) adamus exprimendam, fere ut evenit in photographica arte. Haec vero naturae imitatio, seu rectius naturae reproducio, non tanti profecto est, ut cieat magnam in spectatore admirationem; nec ullam fictio- nis, seu creationis vim in artifice exigit, qui proinde industrius magis, quam artifex dicendus est.

Altera vero est nobilissima naturae imitatio, quae in arte requiri dicitur, et habetur quum artifex, ex diligenti studio et notatione naturae, conatur eximias formas, exemplares, divinas, perfectius quam ipsa natura assolet, in absumpta materia exprimere; vel etiam novos typos secundum naturae leges procreare, per creatricem mentis suae actionem illam, quae « inspiratio » vulgo dicitur. In qua quidem spirituali generatione, quamquam uno temporis momento materia acta et eximia forma simul concipiuntur, attamen ipsum inspirationis tempus usque ad operis perfectam efformationem perdurat. Scilicet in primo instanti « idea concepta » veluti semen invenitur, quod temporis decursu expletur, evolvitur, usque dum typum suum absolverit.

Artifex igitur vel perficit et expolit quod natura per accidens imperfectum producit, vel condit quod omnino non exstat, quasi aemulator Creatoris factus ex notatione naturae. Utroque igitur in casu ars

imitatio naturae dici potest, quae proinde vim creatricem in artifice non adimit, sed potius perficit. « Natura in sua rerum universitate offert artifici velut germina et principia cuiusvis pulcritudinis, quibus quum ille permovetur, extrahit mente singularum naturas, quas ingenio suo fovet, comparat, dividit, elimat; unde postea novam quamdam informationem eruit, quae dicitur *conceptio calleotechnica*. Quo magis rem ita conceptam corde suo ille fovet menteque perpolit ideamque pulcritudinis ad eam exigit quam persentit, eo magis ad perfecti artificis laudem accedit ».¹

Atvero in aesthetica fictione veritas semper contineri debet. Finis enim artis pulcrae licet non sit veritatis demonstratio - hoc enim scientiae munus est - attamen a veritatis tramite abscedere nequit. Et sane: pulcrum cum vero cohaeret; ideoque falsum contra pulcri rationem exstat. Quum autem ars quaedam naturae imitatione sit, nullumque falsum in natura exhibetur, falsitas ab arte excludi debet. Quidquid igitur est contra logicae leges metaphysics, physics, historiae, religionis, moralis disciplinae, etc., eo ipso pulcrarum artium naturae opponitur.

Nihilominus veritas non sensu presso et philosophico circa artem sumenda est. Bene quidem ars quandoque verum exprimit logicum, philosophicum, historicum; sed ut plurimum *verisimile* praediligit. Verisimile autem nec est falsum nec verum concretum, sed est verum possibile; id est, quidquid in arte effingitur revera nec exstat, neque exstitit, neque exstabit; sed talem praesefert naturae indolem, qualiter ordo sive physicus, sive ethicus reapse manifestat et exigit. Hinc Horatii monitum:²

Ficta voluptatis causa sint proxima veris.

¹ CAGNACCI, *Principia Aestheticae*, pag. 36.

² *De arte poetica*, n. 338.

Praeter autem « veri similitudinem » datur « famae veritas in arte; quae habetur quum aliquid iuxta veterum narrationem vel credulam superstitionem, vel praestitutum systema exprimitur. Horatius hinc etiam:¹

*Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge...
Sit Medea ferox invictaque, fiebiliis Ino,
Perflidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.*

Praeterea et « figurae veritas » in arte recensetur; quae habetur quum aliquid latenter exprimitur, sed per congrua signa clare figuratum, ut in symbolis, allegoriis, fabulis fit.

Summopere vero artifex « limae labore » utatur; hoc est « veritatem artis » servare contendat, ita ut artis opus ad regulas communi doctorum suffragio receptas exigitur; et simul « repraesentandi veritatem », quae in consensione inter eximias formas animo conceptas earumque manifestationem consistit, ita ut illud quod mente geritur, contemplanti plane ex se enuncietur.

**

Huc vero quaestio incidit, utrum deformi assumi possit in pulcris arte factis.

Proculdubio deformia in suo genere ad « typum idealem » evehi possunt; qui nempe in se colligat et exprimat qualitates, quae hic illuc in aliquo deformitatis ordine vel physicae, vel intellectualis, vel moralis, emineant. Ita Homerus in *Thersita*, Aligherius, Tassus, Miltonius aliquae poëtae et artifices in daemoniis vitiisque depingendis fecere. Vitiosa igitur et foeda solent ac possunt in arte pulera ad iucunditatem in spectatore ciendam assumi. Verum in hac re servanda est adamussim lex, ne scilicet deformi assumatur nisi ad eius contrarium, id est pulcrum, per antithesim magis magisque illustrandum. Si qua igitur pulcritudo ac delectatio ex de-

formi oritur, non ex deformi, quod deformis exsurgit, sed tum ex harmonia inter « deformitatem idealem » et « deformitatem sensibilem » per artificem exhibitam; tum ex harmonia inter partes operis deformis et totum ipsum opus vigente; tum denique, ac praesertim, ex fine ad quem intendendum est; ad aversionem a rebus deformibus, foedis, dishonestis in spectatore excitandam, et calcar habendum, quo opposita magis magisque diligentur, laudentur.

Quapropter peritissimorum exempla sequutus, artifex deformis utique usurpet, at servata tum parsimonia, tum, ut addet, decoris et honesti lege. Sit nempe pulcra deformitatis repraesentatio, sit pulcra vitiorum descriptio; sed deformitas pulcra, pulcruum vitium nunquam prorsus! Illud igitur « verismum » in arte tamquam non minus aestheticum, quam ethicum absurdum, habeas, ac vituperabis!

Ceterum quidquid ingratum, molestum, turpe offendere potest naturalem hominis dignitatem, arcendum ab arte est, prout docet Horatius:¹

*Non tamen intus
Digna geri, promes in scenam; multaque tollis
Ex oculis, quae mox narret facundia praeiens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus.*

Neapoli.

G. LEPORE.

¹ *De arte poetica*, vv. 182-186.

DE FERDINANDO FOCH

Supremus hic Galliae militum magister, omniumque sociorum bellantium caput, fulmen belli et Germaniae horror, noster est. Ipse enim primus, rara ingenii virtute, rebus in adversis, Germanos vincit posse splendidissime docuit. At vir in primis Deo devotus, vel in castris pietatem

colore in deliciis habuit, seque Christianum palam ac fortiter ostendere nunquam eru-
bit. Mirum sane, quod dum complures in ipsa Gallia scriptores, hisce temporibus,

Relligionum animum nodis exsolvere pergunt,

hic strenuissimus vir, pietate conspicuus, rempublicam tot vulneribus debilitatam feliciter restituit. Ac propterea, dum eius nomen gloria immortalitatis in universum percrebrescit, et omnis Gallia, novo armorum splendore reviviscens, eum patriae servatorem salutat, eumque lumen atque ornamentum reipublicae veneratur, ipsum e scholis parvuli Seminarii *Polignan* apud Tholosam, fuisse egressum recordari iuvat; quin imo haec etiam quae sequuntur, et ad rem nostram admodum faciunt.

Pridie Kalendas Augusti anno millesimo octingentesimo octavo et septuagesimo, magno populi concursu et solemini apparatu, praemia pueris conferebantur, qui primas in scholis illis retulissent. Inter eos, qui maximis adstantium laudibus condecorantur, tum ingenio tum pietate, Ferdinandus Foch merito publice recensetur. Haec tamen omnia natura profluent, ut omnibus locis, et nihil praeter ordinem adparet. Aderat summus ille vir, I. Causset, Collegii rector idemque eloquentissimus orator, qui, omnibus carus acceptus que adsurgit, et pueris praesertim pietate amabilis, salutatus alumnos, haec magna pectoris laetitia protulit: « Aliquis ex vobis aliquando exsurgit, qui gloria iuris legumque sapientia inclarescat, atque ita rempublicam certo animo adiuvet atque apud exteris gentes Gallorum nomen renovabit; qui etiam privatis virtutibus contentus, rem suam domibus paternis curet et dilatet, et qui in sacris expeditionibus ad pietatem excolendis operam suam impendere valeat; vel qui demum...».

Hic orator, commotus, recentem patriae dolorem memorans et dedecus, et duas improbe provincias a sororibus avulsas, alte

fixas in pectore retinens, abreptas in bello, quod paullo ante cum Borussis infeliciter fuerat gestum, ita finem verbis suis imposuit: « Quis demum scit, an propediem hinc unus e vobis divinitus exeat, qui summus olim fortunatusque gallici exercitus dux, hoc nobile desideratumque nuncium matri suae adferat: Mater! Alsacia atque Lotharingia, pro quibus tot lacrimas dedimus, sunt iterum patriae restitutae? ».

Haec verba, maxima animi concitatione prolati, omnis populus cum plausu excepti, adprecatusque ut Deus laetum illud omen festinanter completeret.

Post quadraginta circiter annos, haec eadem, suavi quadam mentis voluptate atque admiratione, recordamur, quod, Deo adiuvante, in eo sumus ut, per ingenium ac religionem in primis Ferdinandi Foch, Gallia universa avulsas olim sibi provincias possit iterum amplexari.

Quod felix, faustum, fortunatumque siet!

Faxit Deus, ut primo quoque tempore positis undique armis animisque hostilibus, omnes late populos ad pacem prolapsos, sedibus suis egressos ad complexandos exercitus suos, insigni redimitos corona, procedere videamus.

I. B. FRANCESIA

ARCHAEOLOGICAE RES

De sepulcris.

Novembri mense vertente, defunctorum memoriae sacro, haud abs se erit pauca de veterum sepulcris disserere. Quae quidem non unius generis fuisse, nec unicuique in quodlibet inferendi ius, iam porro dicam. Vel enim quis sibi soli, vel uxori simul sua, ut unita sepultura perpetuam sibi daret coniugem, vel sibi familiaeque sua ac posteris monumentum vivus exstribat, heredum officia praesu-

¹ *Ibid.*, vv. 119, 123-124.

mens; aut exstrui in testamenti tabulis iubebat. Fuit autem id moris apud Romanos, ut quum heredes negligentius circa hanc rem versari viderent, plerumque dum viverent, sibi suisque sepulcra ipsi pararent. Quae quidem *communia* appellabantur *sepulcra* respectu familiae, aut heredum, aut posteriorum, qui inferendi ius habebant commune;¹ quum illa *requietoria*, vel potius *singularia* aut *privata* nuncupari solerent.

Haud vero tacendum est, communia etiam vocari sepulcra, in quibus promiscue multi ex plebe conderentur. Non enim unicuique ex populo sepulcrum suum erat, ut facile patet; unde Horatius:²

Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum.

Sic Lucretius terram mortuos omnes gremio suo receptantem « *commune sepulcrum* » appellat, et Catullus Troiam « *commune sepulcrum Europae Asiaeque* », id est, heroum belli Troiani tempore ex Europa et Asia occurrentium, vocat.

Ista vero communia quae diximus sepulcra, alia *familiaria* erant, alia *hereditaria*: illa dicebantur quae quis sibi familiaeque suaee constituisset; haec autem, auctore Caio et Ulpiano, erant « quae quis sibi heredibusque suis paraverat, vel iure hereditario acquisiverat ». Familiare sepulcrum ad familiam, etiamsi in ea nullus heres esset, atque heredes etiam extraneos, pertinebat;³ non quidem ad affines aut cognatos, heredes non institutos. In hereditario vero, quod et *gentile*, aut *gentilicium*, vel etiam *patrium*, *avitum* et *maiorum monumentum* nuncupabatur - heredibus et qui heredum loco essent, sepeliri licebat, etiam illis, quibus hereditas

tamquam indignis ablata, dummodo ne testator ipsis inferendi ius expresse denegasset.⁴ Ceterum in haec familiaria et hereditaria monumenta inferre mortuum alteri licebat minime; libenter enim suorum tantummodo cineres admisceri sibi volebant.

Quae quidem religio, de coniugibus praesertim, etiam ad Christianos manavit, hinc S. Hieronymus: « Quos coniunxit unum coniugium, coniungat unicum sepulcrum, quia una caro sunt; et quos Deus coniunxit, homo non separat.

Erant praeterea apud Romanos *publica monumenta*, iu quibus ii locabantur, qui honoris ergo de publico sepeliebantur; erant et alia peregrinis, vel in bello caesis structa; eaque πολυάνδρια dicebantur.

* *

Praeter haec sepulcra proprie dicta, iam antiquitus erant monumenta, quae memoriae gratia alibi sepultis, aut religionis causa sepulturae plane expertibus erigebantur, ut si

nudus in ignoto iaceat Palinurus arena.

Graeci κενοτάφια appellantur; Statius « *inania busta* » et « *vacua sepulcra* » vocat;² Ovidius « *inane sepulcrum* »;³ « *tumulum honorarium* » Suetonius.⁴ Fiebant religionis causa; putabant enim veteres defunctorum animas, si honore sepulcri carerent omni, Stygiam paludem tranare non posse.

Inanis et honorarii tumuli signum apud Athenienses *ikplov* fuit, sive lignum surrectum; de Scipione Africano scimus fuisse pinum aeneam; de Longobardis Paulus

¹ Cfr. AUSONIUS, *Epitaph.* xxxvii; CIC., *in Verrum*, VI, ubi *loci communes* dicuntur. Item apud PLAUTUM, in prologo *Casinae*.

² *Satyr.*, lib. I, viii.

³ Leg. 13 C., de *Religios*.

² *Thebaid.*, lib. XII.

³ Lib. VI, *Metamorph.*, fab. de Progne.

⁴ *In vita Claudii.*

Diaconus scribit¹ eos intra sepulcra, quae ad amicorum suorum alibi tumulatorum memoriam refricandam exstruxissent, periticam fixisse, in eiusque summo ligneam columbam posuisse, in illam caeli plagam versam, ad quam illorum dilectus occupisset et quiesceret. Cenotaphia etiam Christianos in Martyrum honorem excitasse, colligi potest ex Prudentii lib. περὶ στεφάνων; taliaque in commemorationibus defunctorum erigi etiam nunc in usu vivimus.

* *

Sed de sepulcrorum structura et ornamentis aliquid delibemus.

Singularia vel *Priva* sepulcra nihil aliud antiquissimis temporibus fuere, quam scrobes in terra cavati, quibus infodiebantur potius quam sepeliebantur cadavera. Huiusmodi scrobem sibi fieri iussisse Neronem, quem mortem sibi instare videbat, auctor est in eius vita Suetonius. Communia vero, familiaria puta atque hereditaria monumenta, subterranea plerumque exstiterunt aedificia, concamerata, pavimento strata ac parietibus circumsepta, in quae per gradus aliquot erat descendendum. In parietibus per ambitum loculi fuere dispositi, in quibus urnae locarentur.

Porro in ipsis monumentis suis columnas et statuas erexerunt Romani, pariter ac Graeci; quin imo domunculas atque etiam aedificia sepulcris superimponere illis solempne fuit.

Neque infrequens cum in Urbe, tum in reliqua Italia, et etiam in Graecia videamus, circumvallari veluti et muniri defunctorum tumulos sepimentis, puta maceria, aut aliqua humili levique materia, quandoque silice vel saxis, vel denique ferro.²

Apud Graecos nihil hoc situ olim fuit frequentius, qui grandibus saxis vel qua-

¹ *De rebus gestis Longobardorum*. lib. V.

² Cfr. SUET., in *Neronis vita*; STRAB., lib. V.

drato, vel rotundo ordine, tumulos cingere et sepire solebant; ipsos autem tumulos in monticuli seu collis magnitudinem agesta gleba et lapidibus fabricabant.

Germani veteres operosa sepulcra ut ingrata defunctis aspernati sunt: itaque humili condebantur tumulo. Cui rei fidem facit Tacitus,¹ de iis scribens: « *Sepulcrum cespes erigit, monumentum arduum et operosum honorem ut gravem defunctis aspernantur* ».

Scotis sepulcra nobilium obeliscis decorare mos fuit, totidem affixis, quot ipsorum ductu hostium occidissent nobiles.

Turcae solebant procul comportatis ingentibus saxis sepulcra suorum, alioquin inania, nulla iniecta terra, tegere; ea quidem de causa, ut malo daemonie accusante et rationem vitae a mortuo exigente, defendente vero bono Genio, locus esset, ubi mortuus sedere et sese causae commodius dicendae gratia posset erigere.

Idcirco vero gravis lapis iniici videtur, ut tutiora essent cadavera a canum, luporum, reliquarumque bestiarum iniuriis.²

In Africa, extra Fez urbem, multos ubique non procul a civitate campos reperias, qui in publicam defunctorum sepulturam a nobilibus quibusdam relicti sunt. Sepulcro fere oblongum atque figura trianguli saxum superimponunt. Si quando nobilis, aut alicuius momenti civis moritur, huic saxum unum ad caput, unum item ad pedes ponunt, quibus epitaphium insculpi consuevit, una cum die et anno, quo defunctus ex vita migravit.³

* *

Sed ad Romanos Graecosque revertamur. Illi variis rerum simulacris exornare monumenta antiquitus soliti erant, ac di-

¹ In *Germania*.

² Cfr. BUSBEQUIUS, *Legation. Turcicae*, epist. I.

³ Cfr. IOH. LEO AFRICANUS in *Descriptione Africæ*, libr. III.

versis emblematis et signis, quibus defunctorum studia conditionesque denotarent, tumulos suos decorare consueverunt. Notum est ex eo Ciceronem Archimedis sepulcrum invenisse, quod in ipso sphærae figuram et cylindri notasset, ut ipse est testatus.¹ Ita Isocratis monumento pilam triginta cubitorum erectam fuisse, atque in illius fastigio Sirenem septem cubitorum, cantantis speciem praeseferentem, ad eloquentiae suavitatem significandam, Plutarchus² et Philostratus³ tradunt.

Christianorum sepulcra, prout in catacumbis prospicimus, fossae et loculi erant plerumque lapidibus stratae; aliquando autem corpora infodiebantur: « terram ... optimum habemus operimentum » inquit S. Chrysostomus⁴ - et ipsi corporum naturae decentius ». Constat autem Martyrum reconditoris altaria, in quibus sacris mysteriis fruerentur, superaedificare in more habuisse Christianos; hisque rursus sepulcris et altaribus superaedificari templa, quae *Martyria* dicebantur.⁵

* *

Restat materiae monumentorum diversitas. Sepulcra enim alia erant lapidea, alia testacea, alia marmorea, aenea alia. Aethiopum quorundam fuisse vitrea monumenta refert Herodotus⁶ his verbis: « Posteaquam mortuum sive Aegyptiorum sive aliorum more arefecerunt, totum gypso obducunt, picturaque exornantes repräsentant, quoad fieri potest, effigiem eius: deinde ei cippum cavum e vitro, quod apud illos multum est, et facile effoditur,

¹ *Tuscul.*, V.² *Rhet.*, X.³ In vita Isocratis.⁴ *Homil.* LXXXIV in Iohann.⁵ Cfr. CORNEL. A LAPIDE, *Comm.* in XI cap. Esaiæ.⁶ Lib. III, c. VI.

circundant; in cuius medio mortuus interlucet, ut ab hominibus conspici queat, nullum de se spargens odorem ».

Diversa reconditoria! Omnia tamen illorum qui tam disparibus monumentis teguntur, par in exitu sors est.

Namque « aequat omnes cinis - scribit Seneca. - Impares nascimur, pares morimur ». Scilicet in uno similes cuncti videmur, quod omnes, nullo homine excepto, ad tumulum vadimus.

* *

TIBUR AB OTHONIS OBSIDIONE LIBERATUM

HEXAMETRI

*Horrendo miseri miscentur moenia luctu
Tiburis et quamquam praerupti culmine saxi
Urbs immota sedens superas se tollit in auras,
Iam galeis densisque virum circumdatur armis
Undique et infenso concurrunt milite turmae.
Succedunt portae et flamas ad limina iactant:
Haerent aggeribus scalae, murosque sub ipsis
Nituntur gradibus; condono ast agmine cives
Extrema iam in morte parant defendere telis.
Ecce autem praeceps urbis penetralia linquens
Romulus media audax sese immittit in arma,
Romulus sacris redimitus tempora vittis,
Aevi maturus, caelo gratissimus unus.*

*Olli quem medis terras nox detinet umbris
Aethere delapsa en sese tulit obvia Virgo
Reginae vultusque gerens et numinis ora.
Ipsa sacerdotem dictis sic orsa locuta est:
« Ultra nunc mihi da proprium, Romulde, laborem
Nec mora; iam miserae propera succurrere genti,
Quae nostris olim devota advolvitur aris,
Quam procul infando secrevi litore Troiae
Tiburnique favens saxis atque arca locavi.
Hanc rabies, dudum hanc odium crudele tyranni
Insequitur, flammisque urget, iamque excutit armis.
Securam tacitae per amica silentia noctis
Est reperire viam, et duri tentoria regis
Mox tuto penetrare: animos tu flecte furentes
Irarumque feros propera componere fluctus ».
Sic fata, ut fumus, tenues evasit in auras.*

*Exit et audentes qua turmae proelia miscent
Romulus superat fossas invisus, et instat
Castra inimica petens. Densa circumdatus umbra
Ignotus tendit; iamque auro pulchra nitenti
Et multo argento illusa ad tentoria venit,
Magnus ubi indignatus Otho tum limine stabat.
Tunc genua amplexus Romulus talia fatur:
« O rex, Italiae extremis iam victor in oris,
Cui regere imperio gentes fortuna superbias
Concessit, Romanorumque aequare triumphos
Tiburni miseri mecum ecce ad funera vecti
Oramus: prohibe fortes certamine turmas;
Parce piae genti et placidus res aspice nostras.
Per dextram hanc oro, divam quae munere tristes
Ausus iamdudum et sceleratos contudit ictus,
Per patrias animas, perque Omnipotens et almae
Deiparae numen, populi per iura fidemque
Te precor hanc urbem serves divisque, tuisque.
Non fera Tiburtes agit aut compellit ad arma
Ira amentes, caeli tantum hoc lumen et aurae
Movit amor patriae incautosque fefellit amantes.
Ultro mox tibi multa auri argentique talenta
Dona parant: denos Tibur, quos educat alta
Progenie veterum et romano sanguine claros
Promittit iuvenes supplices, totidemque puellas.
Hi tibi subiecti regno sceptrisque manebunt
Omnes et castris hi nunc tibi maxima rerum
Verborumque fides. At tu solare dolentes,
Nec tandem renuas tantis arcere periclis ».*

*Tunc breviter princeps demisso haec ore profatur:
« Pectus solve metu; tuus, o Romulde, quod optas
Implorare labor; mihi tantum munera fas est
Impertiri multa, animisque volentibus ultra.
Factaque iam totum fama vulgata per orbem
Te magna egregium quondam virtute futurum
Portendunt nobis. Datur, o Romulde, quod audes
Sanguineam revoco pugnam gladiisque recondo,
Et saevum avertio Tiburnis arcibus hostem ».*

*Haec ubi dicta animos praesenti pignore firmat.
Protinus infensas heros ex agmine turmas
Sublatu retrahit signo, sibi iungere dextra
Apparat et stabili Tiburtum foedere gentem.
Iamque tacent late bella et non amplius ullos
Clamoresque iuvat sonitusque audire tubarum.
Tempora populea velatur fronde iuventus;
Panduntur portae: erumpunt ad limina regis,
Desertasque vident arcus, camposque silentes.
Sic ubi discordes inter se proelia miscent,
Incumbunt terris immani turbine venti,
Et nubes cogunt tempestatesque sonoras,
Si rapidus siccis perflat regionibus Auster,
Collectae fugiunt nubes et, sole reducto,
Iam tacet omnis ager late, iam tuta quiescunt
Aequora, quum placidas zephyrus perlabilis auras.*

P. SPINA, S. I.

QUA RATIONE SIBI QUISQUE LATINE DICENDI MODUM COMPARARE POSSIT¹

Non deest, meo iudicio, ratio, qua latum illum optimumque dicendi modum sibi quisque possit comparare: habet enim praecpta latine loquendi, quae puerilis doctrina tradit, subtilior cognitio ac ratio litterarum alit, consuetudo sermonis quotidiani confirmat, lectio denique eorum librorum perficiet, qui puram dumtaxat latinitatem admittunt. Omnis namque loquendi elegantia, quamquam expolitur scientia litterarum, tamen augetur legendis oratoribus et poëtis, ut ait Cicero; sunt enim illi veteres, qui ornare nondum poterant ea, quae dicebant, omnes prope praeclare locuti, quorum sermone assuefacti qui erunt, nec cupientes quidem poterunt loqui nisi latine. Itaque quisquis latinam linguam sibi comparare cupit, quadruplici via ad finem optatum pervenire potest: praecptis scilicet, usu, lectione et scriptione.

Praecpta pueris in grammatica tradi solent, quorum multiplicitas ne memoriā obruat, ars praesertim et methodus facile obtinebunt. Mihi sane hoc loco grammaticum agere non vacat; sed cum iis hominibus ago, qui iam puerili illa institutione imbuti sunt.

Usus, quem secundo loco posui, primum facile tenere posset; hic enim linguarum optimus magister est, quem quisquis adhibet eum fructum refert, quem polliceor. Adolescentes vide, qui Romam ex exteris gentibus deveniunt: vix sex integros menses cum aliis discipulis in publico ludo versati sunt, quum Italicam linguam satis didicerunt; et etiam ipso usu linguam hanc vernaculam, non minus illis difficilem

¹ Ex litteris a socio nostro A. FULCONIS ad nos missis.

quam ipsa latina sit, familiarem habent; quum tamen vix primam Latinorum nominum declinationem toto illo tempore, immo vix legere didicerint.

Usus ergo maximum est huius artis compendium; ea tamen lege, ut Latini, non barbari sermonis usus sit. Nonnulli sunt, ut verum fatear, qui facile loquuntur, sed barbare, non latine. Ut facilitas male agendi, ita et barbare ac inepte dicendi vitiosa est; rerum optimarum usus optimus, pessimarum pessimus. Et vero quum de lingua discenda agatur, bonus usus aequae facile ac malus comparatur, diligentiam et curam nostram tam vili pretio addicere non debemus, nec operam nostram tam parvo stipendio locare.

Quod ad scriptionem spectat, illa mutus quidam usus esse videtur, isque cautior et accurrior. Si enim aliqua dictio apte non cadat, nullo negotio expungitur; minimi etiam naevi in candida et virgine charta latere non possunt: calamus fidelis censor est. Mirum quantum haec latine scribendi ratio ad puram latinitatem obtinendam conferat.

Illud tamen praesertim vitium fugendum, in quod non pauci temere impingunt: vix enim aliquid latinitatis delibarunt, quum statim ad scribendum sese accingunt. Erras, mi homo, erras: vix latine scis; et ornate, figurate, magnifice dicere agrederis; vix ad grammaticorum leges scriberes, et rhetorum pompam in dicendo adhibes. Non tam oratorium, quam epistolarem stylum désidero: de infimis et communibus, non vero de arduis, abstrusisque rebus, saltem initio scribendum est. . .

Lectio illorum auctorum, qui latine scripserunt potissimum locum hoc genere habet: dum enim legimus latine et eleganter scripta, optimum dicendi exemplar ante oculos habemus. Hic sola imitatione opus est; immo ad eum finem, eoque animo libri legendi sunt, et ea, quae nos legimus, in simili deinde, vel alio casu, imitemur.

Quinam vero libri ad rem hanc conducant, ex antiquioribus plerosque habes, Caesarem scilicet, Sallustium, Lucretium, Plautum, Terentium, Horatium, Properium, Catullum, Tibullum, Ovidium, Livium, Curtium, Vergilium; sed unus ad instar omnium Tullius erit. Dicam quod sentio: in paucis Tullii lineis est quod imitari, est quod admirari possimus. Novi ego exquisitissimi homines ingenii, qui Ciceronem fere semper in manibus habent; in iis latinitatis puritatem, elegantiae florrem, dictionis venustatem, elegantiae vim, styli maiestatem, orationis dignitatem, sententiarum lumina, verborum delectum, figurarum ornatum, sales et acute dicta invenio: uno verbo, inde homines censere soleo, unde ipsi Tullium censem.

Et vero nonnullos pudere deberet, qui quum his artibus parum instructi sint, Ciceronem ut verbosum et loquaciorem hominem traducunt, utpote qui praeter artificiosum quemdam verborum plexum, nihil penitus habeat: tu vero, mi homo, apud quem Tullius eo loco est, vix scrupulum iudicii habes; recole illud proverbium: « Ne sutor ultra crepidam »; disce prius latine loqui, ut deinde rectum de latinae eloquentiae principe iudicium feras.

Itaque ut quisque latine loqui et scribere discat, Tullium sibi familiarem faciat, nunquam fere illum de manibus deponat, immo nonnulla ex eo, si ita iudicet, memoriae mandet; et finem optatum haud dubie obtinebit.

MAENENII AGRIPPAE APOLOGUS INSIGNITER COMMUTATUS

Bonus ille vir gallicus, Ioannes La Fontaine, qui « carmine mordaci populi depingere mores » consuevit, et novo semper nomine honoribus celebratur apud omnes

gentes, fusius atque aptius est prae certis interpretatus amoenum Maeneni Agrippae apologum, quo fortissimus ille olim Romanorum dux in urbem mirum in modum plebem cum patriciis pacatam reduxit. Nos vero tanti viri sapientiam admirati, gratulantes praedicabamus: Beata omnino aetatem, qua impotens operariorum dissidium, ad simplex fabulatoris ingenium atque inventum componeatur!

Attamen, si Romae *stomachus* imago fuit patriciorum, Lutetiae Parisiorum suo ex more, suae gentis ingenium secutus, Fontanius ipsum Gallorum regem exprimere dictitavit. Namque, aiebat, reges omnem gentem alere nedum regere assolent. Ac propterea, si unquam subditi rebellare cogitarent, reges facile eos fame compescerent; et subita totius corporis infirmitas tristissimos suae infelicitatis causas referret; quod quidem sane cavendum, ne, ingravescientibus rebus, « invalidique patrum referant ieunia nati! ».

Quae quum ita essent, facile arguere mente poteras, officium stomachi in vita regunda apud veteres validissimum omnino fuisse, eique primas procul dubio, nulloque vindice, consuevisse referri.

Stomachus, docebant, membra hominum nutrit, pro ipsis alimenta digerit, et supremum idemque indefessum digestio- nis instrumentum, omnibus cibis rite con coquendis, ipse unus regalique quadam modo auctoritate praest.

Haec autem medicorum persuasio, non modo apud veteres viguit, sed ad nostram prope aetatem absolute in disciplinis dominata est. At recentiores... Quid non mortalia pectora cogit... effrena rerum novarum cupidio? Namque ipsi, omnia audacius tentantes, huic sententiae subscribere primum renunt, dein veterum opinionem in dubium revocant, denique superbissimo ausu, affirmare haud dubitarunt, stomachum nullo modo iam digestioni inser-

vire, ac propterea ne ad vivendum quidem necessarium.

Quid igitur de stomachi imperio? Quid de regibus? Ut folium ventis saepe agitatum humi cadere videmus, sic de regibus eorumque dominatu... Et apud ipsos Gallos, haud ita multo post obitum Fontanii, reges, non modo in exilium acti, sed turpissime ad supplicium rapti sunt, et res publica populari consilio, longe lateque, multis iam annis, alacriter atque imperiose dominatur. Quid mirum sane, si et stomachi imperium finierit? Imperium antea sine fine datum esse stomacho, propter digestionem diu multumque medici autumarunt, eique haud peritura regna permiserant, usque ad saeculum septimum. Tunc enim primum viri doctissimi, de penitiori naturae studio bene merentes, qui acriter publicam valetudinem curarent, singulari admodum consilio atque industria affirmarunt, de officio stomachi dubitari posse.

In huiuscmodi scientissimis viris conspicuus adnumeratur italicus Lazarus Spallanzani. In re tam gravi et tam hominibus utili, multa exstiterunt ingeniorum exercitia atque innumera sapientium lumina. Quorum nisus eo tandem pervenerunt, ut stomachus, supremus hic rerum humanarum arbiter, sceptrum coronamque, post tot saeculorum certamina, perderet.

Illuc enim hostilibus animis singulare solertia atque admirandis in aegrotis effectibus multisque tentaminibus, viribus coniunctis, tetendit plerumque omnium medicorum coetus, ac veluti agmine composito, ut stomachum e regno suo tamquam principem expellerent. Quod quidem, omnibus admirantibus, videntur tandem consecuti. Ut uno verbo omnia simul enarrarem, eo tandem pervenisse dicuntur, ut, desecto ipso stomacho, homines adhuc vivere possint.

Ita gravis Galeni doctrina *de iecore*, ab imis fundamentis penitus excussa, ac

denique demortua, honorifice sepulta est cum titulo: «Post inventa vasa lymphatica, hepatis exequiae».

Quam rerum novarum seriem in una medicina nobis praeparabit crastina hora! Quod enim hodie in scholis alacriter traditur et tamquam verissimum doctrinæ fulcimen atque argumentum undique approbat, cras expungitur, atque inter annales fabulas perridicule recensetur. Haud aliter, volventibus annis, complures in Gallia ... et alibi principes e regno exacti, honores cum vita amiserunt. Multi propterea nobiles, qui antea cum Virgilio in palatiis inscriperant:

*In medio mihi Caesar erit, templumque tenebit,
brevi post tempore, excesserunt, et principes in exilium missos secuti, templa ipsa, proh! pudor, in cinerem consumpta miserantes viderunt.*

Sic erit in posterum de multis disciplinarum monumentis, quae novis semper dilabentur; et desinent in finem quae mox erant excelsa.

SUBALPINUS.



SCRIPTURÆ DIURNAE SPICILEGIUM

Erratica bellatoris aerii vita.

De Gervasio Rodulfo Lufbery, cohortis tribuno.¹

Fluctuans magis vita nulla fuit quam robusti illius viri Gervasii Rodulfi Lufbery, Americani, qui viginti tres annos natus, in omnibus paene orbis regionibus erat vagatus. Septimum enim et decimum agens annum, relicto parentum Wallingfordii in Connecticut domicilio, Galliam, unde pro-

¹ Haec Iacobus Philippe, Lufberii familiaris, in ephemerede Parisiensi *Petit Journal* prodidit. Lufberius autem, in proelio, ex incensa machina sua delapsus octingenta metra est.

fecti eius avi erant, quum adiisset, Lutetiae, Avarici, Massiliaeque mansit. Denique vectoriam navem, in hoc portu, cursum in Africam Septentrionalem quum videret parantem, impiger concendit. Icositanam obiit terram, Tunicensemque, ubi exonerator exstitit navium; Aegyptum, ubi nosocomus; et Byzantium, ubi caffariae taberna puer. Namque ut studiosae idonea delectationi primum urbs ei videbatur, ibi officium sibi nactus, donec curiositatem expleret suam, manebat. Dixit ipse mihi se nusquam opere diutius quam octo dies caruisse. «Et id solet, opinor, aiebat, omnibus iis contingere, qui res suas valent obire».

Peragrat deinde ad Hemum regnis et Germania, Hamburgio est, anno 1906, in Australem profectus Americam. Illinc demum in familiam eum patriae desiderium reduxit.

Pridie quam rediit, vehicularium amantissimus notarum pater eius, rariores quasdam ut quaereret sibi desideratas, breve quod putabat inierat iter. Unum annum Wallingfordii quum mansisset Rodulfus, neque pater rediisset, quo erat animo novis casibus sese iactandi, nomen in militiam Americanam, Aureliani, anno 1907, dedit. Stipendia per duos annos in insulis Philippinis emeritus, peragrat inde Sinis Iaponiaque, pervenit in Indos. Publicae ibi viae ferreae forcipe dum probat mordaci vehentibus schedulas, Indum quemdam quadam die rogans: «Cedo, tesseram», isque quum respondisset: «Quaeso, voca me dominum», egressus haud patientissime Lufberius, colloquentis apprehendens humeros, paulum etiam vexatum eum e statione eiecit, qui urbis Bombay ditissimus potentissimusque inter Mohamedanos erat. Itaque nihil ultra rei in vapore atque orbita a nostro gestum.

Post haec, quum Indosericam petiisset, Marcum Pourpe, in urbe Saïgon, sublimem volatili curru se spectaculo pre-

bere solitum, adiit machinatoris repente expertem. Cui fassus librandam in aëre machinam se ne vidisse quidem unquam, eiusque abdita nescire motoria, eumdem tamen semet obtulit adiutorem.

«Tum, qui possit, ille ait, mihi produces?».

Cui noster: «Experiare, inquit. Laborando discam celeriter».

Peritus paucas post hebdomas factus mechanicus, comes Marco, Annam, Siam. Cambodiisque adiit, et inde Cairum. Tunc memorabilis contigit ille tricies centenorum millium passuum super deserta a Cairo cursus in Khartum, rursusque.

Postea, bello inito, Lufberius, secutus exemplum amici, nomen aviatorum cohorti dedit, ac tamquam Marci ipsius adscriptus est mechanicus. Quem occisum, die secundo Decembris anni 1914, cupiens ulcisci, proeliator aërius factus est.

Itaque anni 1916 aestate occidente, in turma *Lafayette* volatura addictus, primam victoriam die 30 Iulii, et cum secunda, 4 Augusti die, numisma Francogallorum militare adeptus, post quintam publicis nominatus est litteris, quo die 12 Octobris, petitis iaculae superna Mauserianis Oberndorf officinis, Baron Gallicus et Americanus Norman Prince occubuerunt morti. Anno autem 1917, Victorias reportavit decimam die 12 Iunii, decimam porro quintam et sextam secundo Decembris die.

Ad exercitum Americanum tunc adscriptus, a secundo subcenturione, numismate et honorariae Legionis ordine equestri, qui erat ornatus, ad tribunatum cohortis traductus, propria artis volaticea rexit ministeria. At operis huius mox quum taeaderet, rursus ad frontem rediit.

Arduae assuetus militiae, et morti saepe proximus, pericula impavidus non desit quaerere. Optima autem eius Victoria anni 1917 Octobris die 24, fuit. Tum repulsus pridie, quum conaretur hostis

repugnare, continuis Lufberius tribus volatibus septies proeliatus, quartum et decimum suum deiecit adversarium, et hostium machinas quinque alias in terram depresso male mulcatas.

Novissime - concludit Philippe - quum in domum meam Lutetiae Parisiorum venisset, ad coenam mihi eum retinere volenti recusavit: «Non expedit - inquit - serena quum sit tempestas; hoc autem vespera, hora octava, via ferrea proficiat, ut adversarium decimum septimum cras contendam deicere».

Pluribus frustra rogavi.

Postero die morti se obtulit.

Tornoduri in Gallia.

IACOBUS TASSET.

PRO IUNIORIBUS

De urbanis moribus.¹

Venustas quaedam lux est, quae emicat ex rebus bene et apte compositis: quae rerum proportio si desit, nec bonum est pulcrum, nec pulcrum gratum est. Et sicuti epulae, licet salutares, convivis non placent si non saperent, vel male saperent, ita dicendum interdum de hominum moribus, licet innoxii, ineptis tamen et amaris, ni venustate et urbanitate condiantur. Quare omne vitium perse aliis dispiceat necesse est. Vitia enim sunt et indecentia, ut honestis offensionem pariant atque fastidium. Itaque id in primis studendum ab illis qui honesto hominum commercio delectantur, ut vitia, maxime turpiora, fugiant.

Convenit autem bene moratis, ut ad hanc, quam dixi, regulam actiones suas exigant stantes sedentesve, in agendo, in corporis habitu, cum in otio, tum in negotio.

Foeminarum more ne se ornent viri.

¹ Cfr. num. sup.

Oportet nec grave olere, nec delicate.

Vestitus temporis et ordinis tui usibus conveniat, neque solum corpori, sed etiam personae aptetur.

Haud currendum nimisve festinandum tibi incedenti est; hoc enim servum a pedibus decet, non nobilem virum. Quod quidem non ideo dico, ut incessus tuus gravis et latus sit uti matronae. Neque decorum est plus aequo in via membra agitare, vel manus pendulas dimittere, vel brachia hinc inde proicere, adeo ut videaris villicus semina spargens in campo. Neve in alterius vultum oculos defigas, tamquam miraculum inspecturus.

Sunt qui incedentes pedem non aliter attollunt ac pavitans equus, videnturque crura e modio tollere. Alii terram fortiter percutiunt; hic pedem alterum eiicit, ille clunes versat seque magnifice circumpspicit. Si equus tuus os forte deducat, vel linguam exerat, licet eius bonitati id non noceat, minoris tamen et aestimaretur et venderetur, non quia minus validus, sed quia minus elegans esset. Si vero venustatis ratio habetur in animantibus, imo etiam in illis quae sensu carent (quemadmodum videmus duas aedes aequa bonas et commoda non eodem tamen pretio valere, si altera apte et concinne, altera inepta sit fabricata), quanto magis in hominibus commendanda et laudanda est!

Dum mensae accumbitur, indecora res est se scabere; item cavendum in primis, ne sputetur; quod quidem si fieri omnino necesse sit, decenter fiat.

Cavendum item ne tam avide devores ut singultum, vel quidpiam aliud simile edere cogaris.

Dentes mappa, vel multo minus digito fricare non decet; nec palam os eluere et vinum expuere; nec surgentem de mensa lentiscum ore gerere aviculae instar nidificature. Nec decorum est in mensa se pronum demittere; nec aliquid est faciendum quo ostendas cibum et vinum ad palatum valde fecisse: quod quidem est tabernariorum.

(Ad proximum numerum).

I. S. P.

ANNALES

Europaeum bellum.

Foederatorum populorum in Teutones victoriae ad occidentem immanis bellici campi, sequutae elapso mense prospere in dies sunt. Kalendis ipsis Octobribus S. Quintinum oppidum, a Gallica terra iam ab anno MCMXIV avulsum, redditum patriae suae est; post paucos dies Angli Camberacum redimunt. Tum hostes ad receptum coguntur a Scarpe flumine ad Mosam: Galli Vouziers, ac deinde Laon ingrediuntur; Angli Courtrai et Insulas. Germani praeter Yser fluminis cursum ulterius cedunt, exque marinis oris ad Ostendam usque discedunt; consociati Angli, Belgae, Galli Brugas occupant, et Tourcoing, et Roubaix. Illi et a mari ad Mosam copias retrahunt; hi ad Zeebrugge usque triumphantes procedunt.

Nec minus feliciter exercituum consociatorum successus in Macedonia habentur, Italorum praesertim opera, qui praeter Semeni flumen porrecti, Fieri et Berat oppida, Devoli vallem et Elbassam urbem invadunt, ubi cum sociorum copiis, orientales Albaniæ fines supergressi, suas coniungunt, quae et a mari, Dyrrachii navalibus hostium munimentis disiectis, in terram appulerant. In foederatorum manus deinde cadunt Kavaja quoque, Alexium, S. Ioannes de Medua: nunc ad Scutarim tenditur; dum Serbi patriam suam reciperant Nisch urbe tenus.

Inferius, in minori Asia, Angli Damasco potiti ac Beyruth, Turcos insequuntur ad Tigrim fugatos, Berseamque, vulgo nunc Aleppum, pervenient.

Sed postremis mensis diebus in Austriacos praesertim infensa arma conseruntur; eaque ab Italis, qui iniuriae patrii soli, iam ab anno hostili pede pressi, ulciscendae impatiens, improviso impetu,

Pertica et Valderoa alpibus superatis, Grappa montem hostibus per vim purgant, quumque Plavim flumen transire ubique valuerint, Austriacos urgent, discentiunt, in fugamque versos effuso cursu per Venetam Friulanamque regionem insecentur, dissipant, captivos faciunt. Hoc denique hostili discrimine apte perfruentes, Tridentinae regionis finibus confractis, audaci quidem petitione Rovereti viam ingrediuntur.

**

Hosce maximi momenti militaribus gestis haud graves minus civiles eventus addendi sunt. Die enim quarta mens. Octobris Ferdinandus, Bulgariae rex, imperium Boris filio cedit; postque dies duos, Maximilianus, Badensis princeps, Germanici imperii cancellarius factus, a Wilsono, Foederatarum civitatum Septentrionalis Americae praeside, gubernii nomine pacem tentat, sese ad eius de re sententias iam diu prolatas accedere protestatus. Quum autem ille respondisset per ambages Germanos loqui sibi videri, neque intelligi posse utrum militaris infaustae factionis an populi nomine pacis conditioines inchoandae essent, instat alter a novo gubernio populoque Germanico pacem deferri iuxta Wilsoniana principia, quorum singula re tantum persecunda sint; Germanicumque exercitum promptum paratumque esse ad hostilia territoria relinquenda ex legibus a communibus partium curatoribus constituendis.

Ex adverso animadvertisit Wilsonus rationem ex occupatis regionibus excedendi, induciarumque conditiones, iudicio relinquenda esse militarium curatorum foederatarum contra Teutones gentium. Quae fides autem habenda pacis traditae voluntati, quum submarinae naves piraticam adhuc exerceant, Germanorumque agmina, iam nunc in receptu, omnia ferro ignique populationibusque vastent; quumque pote-

stas illa, in cuius arbitrio sit universi orbis quietem, quotiens velit, turbandi, apud Germanos vigeat adhuc?

Rursus Germanicus Cancellarius, a se culpam demovere conatus probrorum quae Praeses erat conquestus, ab ipso Wilsono petit ut occasionem ipse procurare velit disponendi modum, quo induciarum conditiones a militaribus curatoribus melius constituantur; quibus veluti basis hodierinus variarum acierum status sibi videtur esse debere. Praestat immutationes eas in Germaniae constitutione esse iam statutas, ut nemini exinde supremum ius fieri liceat unquam de bello et pace; quod unice publico oratorum coetui legibus ferendis erit in posterum demandatum; quemadmodum reapse per opportunam legem cum aliis cautionibus statim factum est.

Quibus acceptis ratisque affirmationibus Wilsonus sese foederatorum exercituum supremis ducibus Germaniae postulata remittere fassus est, qui induciarum conditiones definirent.

**

Haec de Germania; quid autem de ceteris populis cum ea congregatis?

De Bulgaria iam, superiore in recensione nostra, diximus; Turcarum imperium eius exemplum est sequutum, et hostium fidei sese commisit.

Austria, quae Germaniae primae ratione accesserat, atque a primo Wilsoni responso sciverat sibi seorsim litteras datum iri; interea autem viderat gentem Czecho-Slovacorum itemque Jugo-Slavorum a Wilsono ipso et ab eius sociis tamquam sui iuris recognitas, Caroli imperatoris rescripto, imperii totius novum civilem ordinem sibi componit, ex foederatis inter se populis, qui sua iura suasque leges habituri sint. Sero tamen; dum enim populi qui Austro-Hungaricum imperium constituebant, sese omni vinculo solutos

iam late denuntiant, responsum Wilsoni id est, Austriaci imperii rogationem perpendi non posse: iuribus enim Czeco-Slovacorum atque Jugo-Slavorum admissis, iam iis non est suis legibus tantum uti sub antiquo imperio, sed libere iudicare, tamquam parti familiae nationum, quid sibi cuique conveniat agendum, Austrorum gubernium - Hungari enim consilium gentis sua condunt sui potens ac Wilsono eiusque sociis favens - iterum de iuribus omnium populorum cum Wilsono ipso se convenire protestatum, ex parte sua et a quovis alio disiuncte, ut pacis initia admoveantur reposit; quinimo ad Italorum supremum ducem Diaz fetiales legatos mittit.

Ruit profecto hora; quam aequae ac durabili paci gentibusque Europaeis omnibus faustum in libertate ac felicem ex animo ominamur!

Kalendis Novembribus MCMXVIII.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

In pristinum itaque debitumque honorem revocanda sunt pappatacia illa neutri generis, quae inexplicabilis eius febris, iam plures menses humanae vitae insidianis, facta causa fuerant. Nunc enim in tuto positum esse dictant, eam microbio notissimo deberi, a Pfeiffer doctore abhinc multos annos reperto, unde **morbus, cui ab « influentia » vulgo nomen, iamdiu manavit**. Quamquam benefica illa vis, quae humana corpora per orbem universum aggreditur atque sternit, lateque longeque citissime prolatatur, in mentem inducit novum hoc flagellum illius potius esse generis, a quo, simul cum bello et fame, omnium rerum Dominum invocamus, velit clementer nos liberare. Dum igitur extra iocum quemvis - quam enim intempestivum esset! - easdem preces summo

terrenae atque aeternae salutis datori enixe effundimus, curemus imprimis ut animum nostrum noxiis expediamus, atque Deo fisi, in via nostra recte insistamus; nec tamen monita dedignemur, quae ad valetudinem, his contagii praesertim diebus, servandam nobis tradita a medicis sunt; quaeque hic latine reddita repetere iuvat. Sunt ea quae sequuntur:

I. Ne sternuas neve tussias, quin os lin-teolo cooperueris; ne expuas in terram.

II. Ne osculeris; ne dextras cum aliquo iungas.

III. Caffearias tabernas, cauponas, dever-soria aliaque stipata loca fuge.

IV. Ubique, ac tempestate quavis cubicu-lorum fenestrae patentes sunt; tuque quo possis diutius sub dio vivas.

V. Noli quemquam convenire, neque ab ali-quo conveniri; cave ne aegrotorum hospitia adeas, neve domum, in qua vel infirmi degant, vel etiam qui nondum satis firmo corpore sint.

VI. Ne iter in ferrivia suscipias, neve pu-blicis carpentis utare.

VII. Quo minus possis rhedis omnibus perviis fruaris; ceterum sedem in iis quaeras apud fenestram patentem.

VIII. Cura ut per nasum adtrahas reddas-que spiritum; os a loquente abstraxeris.

IX. Ante cibum manus purgaveris; mane atque vespere os absterrsitis aqua, in quam « iodii tinturam » dissolveris. Dentes constanter mundaveris.

X. Pulvis ne movetor in domo, pavimenta lustranti liquido everruntor.

**

Quum hodie is sim, qui utilia praecepta impertiari, **tempestatis praesagia** addere placet, quae recens apud Caelium Calcagninum in commentatione de re nautica legi.

Purus oriens sol - ille inquit - atque non fervens serenam diem nuntiat; at hibernam pallidus grandinem. Si et occidit pridie serenus et oritur, tanto certior serenitatis fides: concavus oriens pluvias praedicit. Item ventos, quum ante exorientem eum nubes erubescunt.

Quod si nigrae rubentibus intervenient, et pluvias.

Quum orientis atque occidentis radii rubent, coire pluvias; si circa occidentem rubescunt nubes, serenitatem futurae diei spondent. Si in exortu spargentur partim ad austrum, par-tim ad aquilonem, pura circa eum serenitas sit licet, pluviam tamen ventosque significabunt.

Si in ortu aut in occasu contracti cernen-tur radii, imbre: si in occasu eius pluet, aut radii se in nubem trahent, asperam in proximum diem significabunt tempestatem.

Quum oriente radii illustres eminebunt, quamvis circumdati nube non sint, pluviam portendent. Si ante exortum nubes globabun-tur, hyemem asperam denunciabunt; si ab exortu repellentur et in occasum abibunt, se-renitatem.

Si nubes solem circumcludent, quanto mi-nus luminis reliquent, tanto turbidior tem-pesta erit. Si vero etiam duplex orbis fuerit, eo atrocior. Quod si in exortu fiet, ita ut rubescant nubes, maxima ostenditur tem-pesta: si non abibunt, sed incumbent, a quo-cumque vento fuerit, eam portendent: si a meridie, et imbre.

Si oriens cingitur orbe, sive area, quae a Graecis $\delta\lambda\omega\varsigma$ dicitur, ex qua parte is se aperit, expectetur ventus; si totus defluxerit aequa-liter, serenitatem dabit.

Si in exortum longe radios per nubes por-rigeret, et medius erit inanis, pluviam signifi-cabit: si ante ortum radii se ostendent, aquam et ventum.

Si circa occidentem candidus circulus erit, notes levem tempestatem; si nebula, vehemen-tiorem; si cadente sole, ventum. Si ater circu-lus fuerit, ex qua regione is eruperit, ventum magnum.

Haec ille; vos, lectores patientissimi, si lubet, experiamini.

Ioci

Tuccio, Magister:

— Per grammaticae analysism verbum *cre-pida* mihi explices.

TUCCIO. — Nomen commune, foeminei generis.

MAGISTER. — Eia! De crepida numerus nonne est?

TUCCIO. — Est, aedopol! pro calceati pede...

Eidem idem.

— Definias mihi quid sit clivus.

TUCCIO. — Clivus est... Ea via est, quae quum editiore loco eam prospexeris, descensus omnino videtur.

*

Aenigmata

I

Intenta cervice, pio quum munere fungar,

Unus me impellit, mox ego verto genas.

Et mox ille fugit, qui dein, nova compita cal-[cans,

Ad me regreditur, percutit osque meum.

Quum videam stultis correptum motibus istum,

Arbitror esse levem, stultaque gravem.

Si me exploratricem, dum caput undique verto

Esse putant homines, hanc fero pace notam

Quae mecum violenta phalanx certamina mi-

[scet?]

Impulsa atroci quae mihi bella movet?

Qui non cernuntur, spirantes ore rebelli

Voce lassente ac pulsibus illa movent.

Ast ita crudeles hostes virtute retundo,

Quos nimis imbelles vis mea magna facit.

Fortis namque, Crucis signo munita, resisto;

A me ventorum turba fragore fugit.

II

Lector, amabo, quid illud, habens quod nemo [quit ulli

Praestare, at potis est qui minime illud habet?

(Aenigmata in superiore fasciculo propo-sita his respondent: 1] *A-cor*; 2] *I-da*).

IOSFOR.

AD "CARCEREM,"

8)

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA IN DUAS PARTES DISTRIBUTA.

SCENA X.

AMBROSIUS *solas*.

AMBR. At hic fugisset, opportuno tempore,
Nisi fuisset alacer Ambrosius:
Caret si brachio, nunquam consilio!...
Eum mea manu fortiter coercui!
Quae nobis plena vita sed molestias!
Qui semper alites vivunt custodia,
Amant per nemus volitare liberi;
Ipsis et carior libertas ducitur.
Et ille nuper actus est qui in caveam,
Vix abfuit liber, quin rediret denuo.
Fuit quid ausus, vos vidistis optime.
Ut sunt velocius, dices quām calli-

[dos!...]

Meo vivebant iuvenes qui tempore,
Erant et simplices, erant ingenui....
At hi qui vivunt labente saeculo,
Ut sunt astuti, vivunt quām vaferime!
Apertis crederes natos esse oculis! ...
Hinc necessarii carceres et vincula,
Foret magistra princeps ni religio,
Quae corda flectit, frangit ut calamis.
Redibo postea.... Spectatores optimi,
Silentium facite ipse dum praedicat.¹

EXPLICIT PRIMA PARS ACTIONIS.

PARS ALTERA.

SCENA I.

EUSEBIUS.

Quot evenerunt brevi mira spatio
Nostris in aedibus mox tam silentibus!
Omnes nam pueri sunt commoti spiritu,
Et nunquam omnes desieret a lacrimis.
Fassi sunt omnes crimina praeterita,

¹ Indicat interius, et exit.

Vellent et futura! Prorsus non edunt,
Nec amplius dormiunt: nunquam quod an-

[tea.]

Et ipsi vigiles obliti ferulae,
Suum plangunt tempus, fatentur crimina.
Hoc unquam crederem, meis nisi oculis
Vidissem! Ipse confessus est, ipsissimus
Hic noster Rector, quod nec unquam fecerat,
(Puto sic, ni fallor, mea sententia),
Et inter ipsos vidi iuvenculos!
Quis ista videns abstinet a lacrimis?
Adhuc nil melius.... Sed quid in proximum?
Magnum si in aedibus nunc est silentium,
Nil mirum sane.... Duxit ad solatium
Eos, ut passim solent cum parentibus
Morosi iuvenes probi et ingenui,
Et, quod caput, remotis satellitibus!
Volarunt cuncti liberi per aërem;
At omnes ultro redibunt ad vesperum?
Sunt nam rapaces hi funesti et alites
Lacerant qui campos et sata devorant,
Amant et agros visere liberius....
Quod id fecisset quam Rectorem poenitet!
Sed ostium crepat,... Rector ipsissimus!

SCENA II.

RECTOR et AMBROSIUS.

RECT. Hinc vade recto, nec formicino gradu,
Tuus qui semper est mos percommo-

[dus.]

Summas namque aedes ascendas pra-

[cipio,

Tuisque observes oculis et lynceis,
Num forte videoas eos iam reduces...
Omnes simul sient, nec praeter ordi-

[nem....]

(Ad proximum numerum).

¹ Exit.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

C.DEL VECCHIO.

SINGULIS